

indigent, quam ut proletaria opera perfici possint. Omnino nullus forte est antiquus scriptor, e quo non aliquid, quod Homero illustrando utile sit, capi possit. At ea res eget subtili iudicio et magna ingenii moderatione, ne cupide ad Homerum rapias potius quam transferas ea, quibus poeta egregie carere potest. Ita in Plutarcho imprimis plurima sunt docte, interdum argute et ingeniose, ex Homero excitata: quibus ne oneret poetam, cauendum est interpreti. In mythis ex scriptoribus illustrandis imprimis temperandum esse obscurae sedulitati censeo, cum pauci ex veteribus veram rationem inierint: qua de re alio loco meliora, ut quidem arbitramur, a nobis ipsis sunt apposita.

Secundum illa bonae interpretationis adiumenta, sunt nonnulla ex scriptoribus, qui loca Homerica excitant, eruenda, etiam ex iis qui ad poetae verba alludunt, aut ea imitatione exprimunt, aut easdem fabulas sequuntur. Fatendum tamen, esse haec paucissima. Noui quidem haberi hoc in laude, quemadmodum in Clarkiana editione, ut imitationes Graecorum Latinorumque poetarum adnumerentur: fit tamen hoc plerumque sine villo fructu ad poetam: magna quoque exemplorum pars versatur potius in hoc, quod eadem res, eadem notio, ab utroque poeta, quorum comparatio fit, aut iisdem aut aliis expressa verbis est. Omnino hac in re saepe mirari soleo acumen virorum doctorum, qui modo ex Euripide, modo ex
aliis